

orbis mirabilia et portenta? Jam dudum abiere, et in sepulcris jacent. Ubi illi boni fideles, qui sua omnibus pauperibus et peregrinis communia faciebant, de sola futurorum spe contenti? Ah jam dudum vixere, et non nisi in sepulcris inveniri possunt! Ubi pœnitentes illi totis mensibus et annis sese afflictantes pro unico delicto? Fuerunt olim et non sunt. Ubi illi sacræ mensæ, tam frequentes convivæ et devoti veneratores? Jam olim sepulti sunt. Ubi illa virtutum specula, et vitæ sarcimonia lucentia candelabra? Jam olim de-

functi sunt et dormiunt in sepulcris. Ergo, quia vidimus longe nos abesse ab avita antiquorum Christianorum pietate, excitemus nosmetipsos, ut quam proxime saltem ad majores nostros accedamus, si quod jure mirandum est, æquare eos non valeamus. Simus saltem parentum nostrorum non degeneres filii; ita ut qui extra Christi Ecclesiam in tenebris suis degunt, nos aspicientes, cogantur profiteri, quod de Christianis vaticinatus est Isaias, cap. LXI. *Ipsi sunt semen, cui benedixit Dominus.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

LAUS ZACCHÆI.

I. Desiderium videndi Christum. — II. Obedientia. — III. Simplicitas. — IV. Magnanimitas. — V. Humilitas. — VI. Liberalitas. — VII. Justitia et restitutio.

THEMA.

Hodie salus domui huic facta est. Luc. IX.

Quando aliquis dominus pransus est apud amicis, antequam discedat, relinquit honorarium culinæ seu domesticis. Pransus est in hodierno evangelio apud Zacchæum Dominus; et quia optime habitus et laude est exceptus, relinquit ejus domui honorarium perquam honorificum, salutem videlicet, cum ait: *Hodie salus domui huic facta est.* Sed forsitan scire cupit aliquis, quodnam convivium illud, quæ epulæ tam magnificam remunerationem promeruerint? Audiamus.

Neminem latet, duo requiri ut cibi fiant boni et sapidi: primum ut res ipsa, quæ coquitur, in se sit præstans: alterum, cibi confectio sedula et industria. Idem in actibus virtutum requiritur: opera ex se bona esse, et bene fieri debent; alioquin laudem non merentur: quemadmodum nec præstantissima altitia sapiunt, si bene non sint cocta. Zacchæus noster attulit Christo opera non tantum in se bona, sed bene etiam facta. Desideravit enim videre Christum, sed ardentius quia præcurrens, ascendit in arborem, ut videret eum: descendit item ex arbore ad præceptum Christi, sed prompte, quia festinans: suscepit illum in domum suam sed amanter, quia gaudens: restitit obtrectantibus sibi Pharisæis, sed fortiter, quia stans: detexit suam culpam, sed ingenue, quia defraudavi, inquit: tribuit sua pauperibus, sed liberaliter et

cito, quia dimidium bonorum do, inquit: restituit aliena, sed statim et cum fœnore, quia reddo quadruplum, ait. Hæc sunt condimenta, hic sal, qui tam suavia et opipara præparavit Christo fercula. Videamus singula.

I. Primum ferculum seu ante cœna, erant mora, id est, desiderium ardens et efficax videndi Christum; ascendit vero in sycomorum, ut videret eum. Sane etiam veteribus ut plurimum ex consilio Galeni ante cœna erant mora, ut scribit auctor antiq. Rom. lib. V. c. XXIX. quia a jejuno stomacho bene digerentur, post prandium in corruptionem vertuntur, Barth. Angl. l. XVII. c. C. Verum mora Zacchæi silvestria et de sycomoro erant, quia desiderabat Christum videre tantum, nondum audire, nondum sequi. Desiderabat ergo Christum videre et quidem ardentius et efficaciter, quia medium excogitavit idoneum ad videndum Christum: præcurrit instar pueri, et irrepit in arborem, nihil curans hominum sannas et irrisiones; metuens tantum ne ab aliis præveniretur et aspectu Christi privaretur. Multi quærunt videre Jesum sedentem præsertim in gloria sua: volunt evadere gehennam: vitare scelera, etc. sed non efficaciter, quia non adhibent media ad finem consequendum. Tales videntur fuisse Ægyptii qui ob tenebras eis immissas non movebantur loco tribus diebus (ut habetur Exod. X.) nec excusserunt ignem de chalybe aut silice, ut accenso saltem lumine videre possent. Hoc id faciunt plurimi, qui sedentes in hæresum et peccatorum tenebris multa adhibent media, quibus emergant, non legunt libros catholicos, non conferunt cum doctis, non consulunt confessarios, non curant pœnitentiam et bona opera. Non frustra in ostio veteris oraculi, quod Sanctum sanctorum dicebatur, et typus erat cœlestis patriæ, juxta expositionem S. Pauli ad Hebr. IX. tria hæc

visenda erant: olivæ lignum ex quo confectum erat, Cherubim et palmæ in eodem exculptæ. Indicabant enim qua ratione et quibus clavibus aperiendum et ingrediendum esset oraculum; scilicet per misericordiam, quam oliva: per innocentiam quam Cherubim: per victoriam temptationum, quam palma designabat. Qui pisces serio appetit, retia quærunt; qui leporem, canes: ita qui regnum cœlorum quærunt, quærant et justitiam ejus, uti dixit Dominus.

II. Secundum erant aviculæ. Notum est aviculas ad vocem aucupis descendere ex arbore in aream, moxque reti contactæ capi. Ita prorsus Zacchæus ad vocem Christi dicentis: *Zacchæe festinans descende, etc.* illico descendit ex arbore et se capiendum præbuit; nec solum Christo domum suam in hospitium, sed et se in obsequium tradidit. Si dixisset Dominus: Veni et hodie cœna mecum, mirus mirum foret, si Zacchæus subito paruisset. At vice versa Dominus cum ipso cenare voluit; et mox humanissime acceptus est. Multi cito et expedite ascendunt in arborem vanitatis et vitiorum, sed difficulter descendunt. Vocat eos Dominus gratia excitante, quasi sono fistulæ; sed respondent aliqui: *Vellemus* uti adolescens ille, qui a Christo vocante tristis abiit, Matth. XIX. alii: *Nolumus modo*, ut ille, qui dicebat: *Permite me primum ire sepelire patrem meum*, Matth. VIII. alii: *Modo, modo* volumus, sed istud modo non habet modum et hoc modicum sæpe it in longum, et dum istæ aviculæ modo volunt, modo nolunt avolare, sæpe interceptantur ab aucupe vel accipitre: alii dicunt: *Nolumus*, uti invitati illi, Matth. XXII. Primis dicendum: Quia oportet; mediis: Quia hodie oportet; postremis vero illud: *Dico vobis, quia nemo virorum istorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Aliqui non difficulter descendunt de hæresi ad fidem catholicam, cum ad Christi mensam invitantur, id est, cum alliciuntur pingui hæreditate, conjugio, munere, dignitate, etc. Sed non item, cum ad ipsorum mensam Christus se invitat, id est, cum veræ religionis sectandæ gratia jubentur relinquere hæreditatem, domum, dignitatem, patriam, etc.

III. Erat caro cervina. Dicuntur enim cervi fistula pastoralis ita permulceri, ut sui quasi obliti pastorem ad se accedentem non fugiant, sicque interdum capiuntur. Pier. lib. VII. hierogl. Similimus cervo Zacchæus, qui suavissimo illius fistulæ sonitu: *Zacchæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*, illectus et extra se quodammodo raptus, venientem ad se pastorem Christum gaudens excepit in domum suam, adeoque se et sua omnia ei tradidit. Fecit hac in re, quod olim Ezechias rex legatis Babylonis, IV.

Reg. XX. quibus in domum receptis ostendit thesaurum et omnia sua: sic non solum domum, sed et cor suum aperuit Zacchæus Domino, ostendens ei vulnera animæ et pericula salutis suæ, opes magnas easque ex parte iniquas: ut posset dicere cum Ezechia: *Omnia quæ sunt in domo mea vidi, nihil est quod non monstraverim ei.* Cum Zacchæo et Ezechia sapiunt, qui suis confessariis quasi Christi legatis conscientiam suam ita aperiant, ut nihil omnino abscondant; non male partas opes, non pellicem domui latentem, non libros hæreticos, non odia, nulla denique peccata mortifera. Quis non libenter admitteret me in domum suam, si ei ostenderem foramen in domo per quod fures ingrediuntur et noctu eam despoliant? Vel ignem occultum paulatim serpentem ad incendium? Et tamen quam multi ita desipiunt, ut hæc sibi ostendi et prodere ipsi nolint?

Quod enim rex Edom Moysi dixit, Num. XX. *Non transibis per me*, hoc ipsi dicunt Deo ejusque legatis: Verum advertant isti quid Dominus dicat: *Oportet me manere in domo tua*; oportet, oportet cor reserare Deo, si volumus eum nobis reserare cœlum. Confessarii sunt exploratores illi, Jos. c. II. quia debent diligenter peccatorum conscientias explorare, et sic ingrediuntur domum mulieris meretricis, id est, conscientiam personæ peccatricis quam salvant, ut ait ibi glossa.

IV. Erat aprugna. Solet enim aper armare se ad pugnam contra venatorem, dentes ad arborem acuere, et venabulo venatoris intrepide occurrere, idque venatori sæpe excutere, uti scribit Barth. Anglicus, lib. XVIII. proprietat. cap. VI. Idem Zacchæus fecit. Cum enim Pharisæi sua obtrectatione insidias ei tenderent, ut vel ipsum a Christo vel Christum ab eo divellerent, stans, id est, fortiter in proposito virtutis persistens, opposuit se illis, et ad Christum quasi ad arborem dentes suos exacuens ait: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, q. d. ut videant adversarii me ipsorum obtrectatione, quam me peccatorem asserunt adeoque indignum tua visitatione, nullo modo dejici a proposito, statuat exemplum publicum conversionis meæ, et dimidium bonorum meorum do pauperibus. Noluit Zacchæus placere Pharisæis, satis habuit Christo si placeret; docens proinde nos in Dei servitio et virtutum exercitio fortiter procedere, licet mundus obstrepat, reprehendat et contemptui nos habeat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, inquit apostolus, ad Galat. I. Neque enim ab hominibus, sed a Deo mercedem expectamus.

V. Erat lepus. Hic enim ubi a cane comprehensus animum despondet, ante ipsum prosternitur

quasi palmam ei cedens et victum se ostendens, qui proinde parcunt canes et cum eo ludunt, uti ipse vidi et scribunt Pierius, lib. XIII. hierogl. At simili modo Zacchæus, qui prius divitiarum suarum pedibus nixus opinabatur, se omnium morsus evasurum, nunc a Christo quasi comprehensus, humiliat se coram ipso et fatetur culpam suam, reum se fraudulentæ agnoscit, et veniam precatur, quasi dicens cum Saulo, Act. IX. ante Christum prostrato: *Domine quid vis me facere, ecce fateor me fraudasse, sed restituo in quadruplum: video me deprehensum, et imposturas meas tibi esse perspectas, nec posse me vindicem matum tuam effugere, cedo itaque tibi palmam, peccatus subire mulctam, et resarcire damna illata, tantummodo parce: magna animi subjectio et sincera confessio. Non arguebatur justitiæ a Christo, sed ultro, palam et coram aliis reum se fateatur, sine periphrasi: Si quid defraudavi, inquit Græce si fui sycophanta, id est, fur et direptor alienorum bonorum.*

Gustate ex hoc ferculo vos, qui peccata vestra in confessione tegitis, palliatis, diminuitis, excusatis, quasi Deum laterent, uti latent confessarium. Seipsum accuset, qui a Deo excusari vult: revelet suum dedecus qui id a Deo tegi vult, quia: *Dixit Dominus, ex Basan convertam, Psal. LXVII. Basan confusionem significat. Hinc incipit confessio, si nos, inquam, confundamus ingenue confitendo peccata: unde Eccles. IV. dicitur: Pro alicui tua ne confundaris dicere verum; est enim confessio adducens peccatum et confessio adducens gloriam et gratiam.*

VI. Erat agnus. Hic enim cum lana sensim crescente abundat, tondetur et superfluum hominibus communicat eaque illos vestit: unde S. Martinus videns aliquando tonsam ovem: « Ecce, ait, ovis hæc evangelicum implevit præceptum, cum duas tunicas habens, dedit unam non habenti, » Sulpitius, in ejus vita, dial. II. cap. XI. Atqui Zacchæus idem omnino præstitit cum dixit: *Dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus.* Sine doloris sensu lana ovibus præscinditur; unde in tonsura patientissimæ sunt: ita et superflue opes communicandæ sunt pauperibus, ut inde non doleamus. Oves nisi toderentur, per ætatem in lana suffocarentur, ita etiam divites nisi per eleemosynas tondeantur, suffocabuntur in suis opibus; quomodo semen illum suffocatum dicitur in spinis divitiarum. Lana ubi ovibus detonsa est, sensim iterum succrescit: ita etiam opes in pauperes collatæ, plerumque cum fœnore resarciuntur: unde misericordes dicuntur, Isa. LVIII. *Fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

Fons enim licet exhauriatur, statim se recolligit, contra si occludatur, non ideo aquis oppletur usque ad summum: illæ enim furim alio se proripiunt. Optarem ex hoc ferculo gustare opulentos. Commodum vero hujus tonsuræ tempus est solemnitas dedicationis, in qua olim Christiani agapas facere consueverant, vocando scilicet pauperes ad convivia, vel distribuendo eis elemosynam, uti patet ex epistola S. Gregorii papæ ad Petrum diaconum, in qua ei præcipit erogare pauperibus in die dedicationis, in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum. Videte liberalitatem antiquorum Christianorum.

VII. Erat piscis, isque lupus, qui cum sit prædo piscium, ubi captus est, prædam, quam devoravit, evomit. Item prorsus videre est in Zacchæo, qui prius in telonio prædas pecuniarias egit, nunc a Christo captus iterum evomit, juxta illud Job XX. *Divitias, quas devoravit, evomet. Si quid alicquem defraudavi, inquit, reddo quadruplum.* Vidit nimirum Zacchæus se alienas opes digerere non posse, quia Prov. XX. dicitur: *Suavis est homini panis mendacii (id est, divitiarum fraudibus partæ), et postea implebitur os ejus calculo.* Ut ergo calculus in homine digeri non potest, sed paulatim auctus tandem eum refecat, ita etiam divitiarum male partæ. Quisquis igitur hujusmodi calculo se gravatum advertit, vomat cum Zacchæo, restituendo id quod rapuit. Non est indecorus iste vomitus, sed potius decens et laudabilis, quia vitium emendat, et quod curvum est rectificat. Falsum igitur est proverbium illud Germanorum: *Furari et restituere dedecus esse: furari enim et furtum retinere dedecus est, sed restituere actus virtutis et decus est.* Patet in Zacchæo, quem nemo unquam vituperabit, sed potius quisvis laudabit, quod aliena restituerit, quemadmodum et Christus ipse fecit, cum huic Zacchæo voci mox subiecit: *Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abraham.* Vomitus sequitur sanitas, vomitum Zacchæi, quo restituit iniqua, mox secuta est salus. Quare quisquis secutus est Zacchæum devorantem, sequatur et vomentem: qui secutus est errantem, sequatur et penitentem, ut mentis sanitatem consequatur seu salutem, quæ est hic gratia, ibi gloria

CONCIO II.

CHRISTIANI CATHOLICI VERE FILII ABRAHÆ.

I. Quoad multitudinem.—II. Quoad diversitatem fidei.—III. Quoad disciplinæ rigorem.—IV. Quoad vitæ asperitatem.—V. Quoad peregrinationem.—VI. Quoad religionem.

THEMA.

Salus domui huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abraham. Lucæ XIX.

Clarum est ex evangelio, multum gloriatus esse Judæos de patre suo Abraham: ita enim Christo occinunt Joan. VIII. *Semen Abraham sumus: et mox: Pater noster Abraham est: sed respondit illis Christus, parum aut nihil esse, filium Abraham esse, nisi ejus virtutem et pietatem imitentur: Si filii Abraham estis, inquit, opera Abraham facite: idem paulo ante Christum dixit illis Joannes Baptista, Matth. III. his verbis: Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham: idem etiam post Christum edixit nobis apostolus, ad Rom. IX. Non omnes, inquit, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abraham, omnes filii. Ex quibus patet veros filios Abraham eos esse censendos, qui secundum spiritum, non secundum carnem tales sunt, quique non tam stirpem, quam virtutem Abraham sortiti sunt. Et hoc est, quod in Zacchæo commendavit Dominus, quemasserit filium Abraham, quia non solum talis natus, sed virtute etiam talis factus est. Qui tales Abraham filii sunt, gaudere merito possunt, quia et Christi filii sunt: Abraham enim Christi et credentium pater est; quisquis contra Abraham filius non est, Christi non est. Jam vero quod hoc nomine gaudeamus non catholicis, non item gaudeant Judæi et hæretici nostri temporis Lutherani et Calviniani, facile ostendemus.*

I. Si spectemus numerosissimam Abraham sobolem, quam promisit et dedit ei Deus, sicut pulverem terræ, Gen. XIII. et sicut stellas cæli, Gen. XV. Hoc autem nec Judæis, nec hæreticis, sed soli Ecclesiæ catholicæ convenit, quæ per universum orbem ingenti numero diffusa est, quemadmodum nullus est in orbe locus, ubi non sint et conspiciantur stellæ aliquæ. Quare sicut stellæ primo, sunt innumeræ, uti indicat Deus, Gen. XV. cum ait: *Suspice cælum et numera stellas, si potes, sic etiam Christiani.* Deinde, sicut eadem per totum firmamentum sunt dispersæ, ut omnes terræ populi suas habeant et videant stellas; ita et catholici quemadmodum ipsa vox sonat, in om-

nibus orbis partibus inveniuntur: et hanc eorum diffusionem videtur indicasse Deus, cum dixit Abraham: *Numera stellas, etc. sic erit semen tuum,* videlicet in numero et situ. Numerant quidem astrologi stellas mille et viginti duo, sed hæ tantum insigniores et notabiles sunt, præter has enim atræ minores deprehenduntur per dioptram innumerabiles.

Ita enim numerantur quidem Ecclesiæ partiales per orbem diffusæ; præter eas autem innumerati sunt Christiani occulti in partibus, ubi fidei vexillum erectum non est, v. g. in Turcia, Persia, Barbaria, etc. Jam vero Judæi dispersi quidem sunt hinc inde per orbem, sed juxta prioræ tantum promissionem, sicut pulvis terræ, quæ ubique contempti vivunt, et quasi omnium pedibus teruntur: non autem ut stellæ cæli. Hæretici porro cujusque sectæ innumerabiles non sunt, multo minus toto orbe diffusi. Audi Lutherum de suo evangelio, in coll. de novissimo die, fol. CDLXV. sic loquentem: « Quid autem hoc sibi velle putas, quod nostrum evangelium in angulis prædicatur? Quo pertinere censes, quod tota Asia et Africa evangelio carent? Et in Europa, in Græcia, Italia, Hungaria, Hispania, Gallia, Anglia et Polonia nullum evangelium prædicatur? Pusilla hæc provincia Saxonie novissimum diem nequam morabitur. » Sic ille.

Contendunt quidem recentiores hæretici multos suæ sectæ additos latere passim in orbe; sed hi tamen nulla dioptra investigari possunt. Ausus est etiam Lutherus alibi sibi contrarius scribere adversus hircum Lipsiensem, to. VII. Witt. Germ. f. CXLVII. in hæc verba: « Non ausim quidem affirmare, sed tamen spero me in Dei nomine doctrinam meam cœpisse et purum Dei verbum docere: sed hujus spei meæ nullum certius signum aut efficacius documentum habeo ac miraculum, quam quod tam subito in omnem terram propagata fuerit doctrina mea tantasque turbas ac dissidia commoverit. » Hæc ille. Sed excipe ab hac doctrina Asiam, Africam, Americam, et majorem partem Europæ.

II. Si spectemus ejusdem sobolis diversitatem. Etenim non solum posterius et nepotes, sed filii etiam ejus, alii boni, alii mali fuerunt: bonus utique Isaac, malus vero Ismael. Quam diversitatem indicavit Deus, cum dixit ei Gen. XXII. *Multiplabo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arenam, quæ est in littore maris.* Quid enim stellæ, nisi bonos cælo inscriptos ac prædestinatos et celestem vitam agentes? Quid arenæ, nisi reprobas terræ amatores, in terra scriptos et peccatorum pondere ad infernum tendentes significant? At vero tales non sunt Calvinistæ, siquidem Calvinus

vult, quoque in Ecclesia sunt, prædestinatos esse; nec Anabaptistæ, qui se omnes sanctos et innocentes esse jactant; neque Lutherani, qui a persuasione Lutheri credunt neminem quantumcumque peccatis onustum perire posse, nisi credere nolit, adeoque sese omnes cæli hæredes esse.

Contra Ecclesia catholica fatetur habere se filios bonos et malos, cælestes et terrestres; idque docent Christi parabola de tritico et zizaniis in eodem agro, Matth. XIII. de bonis et malis piscibus in eadem sagena, ibidem: de tritico et paleis in eadem area, Matth. III. et apostolus clarissime, II. Timoth. II. cum ait: *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fœtalia.* Dominus per hæc Ecclesiam demotat, quia in ea sola invocatur nomen Domini sicut docet quod immediate præmisit apostolus) et I. Timoth. III. ab eodem Ecclesia vocatur *domus Dei.* Vasa porro aurea et argentea sunt justis, fœtalia vero reprobi. Simili modo in arca Noe animalia munda et immunda inveniebantur.

III. Si spectemus disciplinam Abrahamæ, sub qua erant filii ejus. Cum enim præcepisset ei Deus circumcisionem, statim ipso die arripuit primo, Ismaelem filium suum et circumcidit eum, et post hunc vernaculos suos, Gen. XVII. idem post hæc fecit Isaac filio suo. Et cum audisset Ismaelem ludere cum Isaac, hoc est, vexare et persequi, vel, ut alii volunt, idololatriæ idolis seducere eum, mox ejecit eum cum matre Ismaelem, Gen. XXI. Denique, ab Abrahamæ imperio omnia pendebant, ita ut nec Sara uxor ejus ejicere ancillam vellet absque jussu mariti, ibidem. Porro talis disciplina viget in Ecclesia, quia viget in illa præcepta observantia non divinorum tantum, sed et humanorum; partim ecclesiasticorum, quæ Spiritus s. Ecclesiæ præses dictavit ejus pastoribus, ut ad ea servanda fideles obligarent; partim civilem.

Hanc autem observantiam Ecclesia suis filiis perpetuo inculcat et contumaces punit et ejicit, quos de suo gremio et cum apostolo tradit Satanæ. Ipsi etiam fideles obedientes sese exhibent, nec queruntur de præceptorum seu divinorum seu ecclesiasticorum gravitate, et quod magis mirare, huic obligationi sæpe multum de suo adjiciunt, sæpius jejulant, confitentur, communicant et missam audiunt, quam præceptum sit. Denique, ab ore et imperio summi patrisfamilias, hoc est, Romani pontificis toti pendent, ejusque censuras ac præsertim excommunicationem maxime timent. Rari sunt, qui interdicto tempore carnibus vescantur, imo in tota Italia et Hispania ac magna parte Belgii vix unum reperias: rari,

qui festa violant, aut statis temporibus non confitentur et communicant et si qui horum transgressores reperiantur, monentur et mulctantur. Exultat hæc disciplina apud sectarios nostri temporis, qui libertatem spiritus vertunt in libertatem carnis, et contendunt se ab omni obedientia decalogi, legum, principum, prælatorum, superiorum, dominorum; item ab operibus penitentiae et satisfactionis, a votorum observatione exemptos esse, quæ sane libertas irrationalis, animalis, carnalis, tarpis et contra omne naturæ jus rectamque rationem est. Audi Lutheran. in lib. de christiana libertate: *Christiano, inquit, neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege:* et tom. I. Wittemb. fol. CLXXXIX. et CXC. ait: *Oportet cor humanum legem Dei, atque adeo Deum ipsum supra modum odisse.* Vox Satanæ non hominis, quid enim magis blasphemum diabolus loqui posset? Non absimilis Calvinus, cujus est hic dialogus, lib. III. instit. cap. XIX. § II. IV. VII. *Consentientia dicente: Peccasti, responde imo: Peccavi; ergo: Deus puniet et condemnabit? Non. At lex hoc dicit; sed nihil mihi cum lege. Quare? Quia libertatem habeo.* Deinde, obedientiæ studium prorsus evertunt, dum asserunt præcepta Dei servari non posse, dumque negant hominæ liberum arbitrium. Ad hæc si quod operosius mandatum illius injungatur, illico obmurmurant et refugiunt, quasi per hoc eorum libertas infringatur. Leges etiam civiles, cum impune possunt, nullo metu prævaricantur, qui se illis judicant in conscientia non obligari: denique, rebelliones eorum excitare contra principes ostendunt eorum observantiam. Taceo quotidiana et manifesta eorum scelera: jurant, pejerant, mentiuntur in suum et proximi commodum, mendaciis et calumniis onerant Ecclesiam, vota frangunt, uxoribus fidem non servant, usuras exercent, imagines sanctorum cum repudiant, eas tamen catholicis pingunt et sculptunt. Jam vero in Ecclesia Christi disciplina esse debet, et scelus castigatio; si enim apostolus ad Hebr. XII. ait: *Quod si extra disciplinam estis (Græce absque castigatione) ergo adulteri (id est, adulterini) et non filii estis.*

IV. Si spectemus vitæ duritiem in qua educati sunt Abrahamæ filii, necnon labores et vexationes, quibus excitati ejus posterii, maxime in Ægyptiaca servitute; prædixit enim Deus: *Scito prænoscent, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti et affligent quadringentis annis,* Gen. XV. Ipsi etiam filii Abrahamæ Ismael et Isaac nequaquam blande habitati sunt a patre, quorum prior e paternis ædibus, cum esset annorum septemdecim, dimissus est,

nec alio cum viatico, præterquam uno pane et utre aqua, Gen. XXI. posterior vero Isaac oneratus fasce lignorum ductus est a patre tridui itinere ad necem, immolandus Domino, Gen. XXII. reliqui ejus nepotes usque ad exitum de Ægypto fere pastores fuerunt. Filii igitur Abrahamæ sunt, qui non in deliciis et voluptatibus, sed in vitæ austeritate, afflictionibus et laboribus educantur. Tales autem sunt catholici, qui imprimis per trecentos annos a Christi ascensione usque ad Constantinum Magnum tamquam oves occisionis, ad martyrii macellum passim rapiabantur; postea ubi tyranni defuerunt, variis mortificationum generibus seipsum quasi mactarunt in oblatione Deo, per martyrii desiderium, per patientiam injuriarum, per tolerantiam paupertatis voluntarie assumptæ, per virginitatis studium ac carnis et concupiscentiarum crucifixionem, per opera misericordiæ, per voluntarias corporis castigaciones, per sui ipsius victoriam et mortificationem. Quæ vivendi ratio adhuc viget in Ecclesia, et inculcatur nobis jugiter, cum jejunia præcipiuntur, cum supplicationes et solemnes comprecationes inducuntur, cum in vigiliis, quadragesima, feria sexta et sabbato, ludi, choreæ, pergræcationes, clamores, et profana musicorum instrumenta coercentur, cum bacchanalia inhihentur, cum dolor de peccatis admissis et asperæ satisfactiones penitentibus injunguntur, cum voluntaria corporis afflictiones, peregrinationes, abstinentiæ, vigiliæ, flagella, cilicia, brachiorum expansio, genuflexiones et humicubationes, xenodochiorum visitationes aliæque sexcentæ a catholicis, præsertim a congregationibus et religiosis suscipiuntur. Denique, apud catholicos reperitur studium perfectionis et abdicacionis rerum omnium et mundi voluptatum in tot millibus religiosis, qui omnibus illis illecebris, quarum caro est appetentissima, conjugio, inquam, epulis, computationibus, venationibus, ludis, jocosis spectaculis, mollibus lectis, splendidis, vestibus et id genus aliis æternum valedicunt. Nihil horum cernere est in catholicis; quin potius exhorrent vel ad vocem penitentiae et mortificationis, ventri ad libitum serviunt, ludunt, pergræcantur, terrenis commodis inhiant, nil nisi Venerem et Bacchum loquuntur, nullis etiam sacris diebus parcunt, nulla iis jejunia, nisi forte tempore gravissimæ alicujus cladis, nullæ penitentiae, nullus coelibatus, nullus consilii evangelicis locus. Et quis unquam vidit aliquem ipsorum cum apostolo castigare carnem suam et in servitutem redigere? Quis cilicio macerare? Quis flagello tundere? Quis lacrymis genas cerget? Quis in humum vel genus prosterni? Quis multum fortunarum suarum pauperibus elagiri?

V. Si consideremus eorum iter per desertum ad terram promissionis. Quas enim illi gratias et beneficia sortiti sunt a Deo, eas spiritualiter etiam sortita est Ecclesia catholica. Habuerunt illi columnam ignis per noctem, et nubis per diem: habet Ecclesia Spiritum sanctum, qui eam protegit tempore persecutionis, et illuminat in fidei difficultatibus; habet enim summus pontifex in rebus fidei decernendis pastoralis suo regimine infallibilem Spiritus sancti assistentiam, a Christo sibi promissam. Habuerunt illi aquam de petra et biberunt omnes: habemus nos doctrinam fidei infallibilem e petra sedis Romanæ. Scio petram illam ex apostoli I. Corinth. X. significare Christum; sed scio etiam Petrum ejusque successores a Christo vocatos et constitutos esse petram, Christi videlicet vicariam et secundariam, a qua biberent posterii, qui ex ipsius Christi ore bibere non potuerunt. Habuerunt illi manna de celo, habemus nos ss. eucharistiam, qua et contenti sumus una tantum specie: habuerunt illi serpentem hastili affixum, cujus aspectu sanabantur, habemus nos s. crucem, cujus typus erat serpens ille, ex Domini testimonio nemini non salutarem, qui eam ut decet, aspicit: obtinuerunt illi de hostibus plurimas victorias et miraculosas, obtinuimus et nos nuperis his annis contra hæreticos.

VI. Si ipsius Abrahamæ religionem ponderemus. Ipse enim est, qui loquente secum Deo, adoravit eum in terram vel genuflexus, vel prostratus, Gen. XVII. et XVIII. Ipse passim altaria erexit, et in iis Deo sacrificavit: ipse Melchisedech sacerdoti decimas persolvit suarum possessionum: ipse mundi pompam, vestitum et epularum delicias damnavit in epulone; paupertatem vero et abjectionem commendavit in Lazaro, Luc. XVI. Ergo ut alias ejus virtutes taceam, nequaquam cum hæreticis, sed nobiscum sensit. Ipsi enim nec in terram adorare solent; nec altaria erigunt, sed ea potius destruunt; nec sacrificium Deo offerunt, quia nullum habent; nec sacerdotes venerantur aut decimas iis persolvunt, sed cum possunt potius adimunt; nec Lazari illius mendici, sed epulonis potius vitam commendant et sequuntur; quem proinde etiam nisi respiciant sequuntur in infernum, quod tamen ipsis adeo non precamur, ut potius toto corde, in modico et in magno optemus eos fieri tales quales sumus nos, veros scilicet Abrahamæ filios. Sunt enim et ipsi quemadmodum et Judæi ac gentiles, modo aliquo fratres nostri, ex Patre scilicet Deo conditore nostro, tametsi non ex matre Ecclesia. Quare rogemus, charissimi, Christum, quod rogavit Abrahamum epulo, ut mittat

illis Lazarum, hoc est, spiritum bonum, qui edoceat illos, quanta imprimis poena in inferno maneat infideles et hæreticos : et quam bono ac securo loco, in sinu videlicet Abrahamæ et Dei sunt catholici, ut et ipsi ad eos congregentur et nos omnes unanimi voce dicere possimus : *Salus huic domui*, salus huic nationi facta est, eo quod et ipsi sint filii Abrahamæ.

CONCIO III.

INCITAMENTA AD RESTITUENDUM BONA ALIENA.

I. Præcipit lex naturæ. — II. Lex Scripturæ. — III. Necessitas gratiæ obtinendæ. — IV. Periculum hæredibus imminens. — V. Mors et gehenna imminens. — VI. Grande bonum restitutionis.

THEMA.

Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. XIX.

Magnetis vis quanta sit in trahendo ferro, nemo est, qui nesciat. Tanta nimirum, ut non modo ipse ferrum ad se trahat, verum etiam integras naves ferreis compactas clavis. Eam tamen etsi mirabilem plane virtutem ab adamante vincit, testatur S. August. lib. XXI. de civ. capit. V. adeo, ut si juxta magnetem ponatur, ferrum trahere prohibeat, imo cogat magnetem ut ferrum jam attractum respuat et remittat. Si bene hodiernum evangelium inspiciamus, simile aliquid cernimus. Videmus enim illic hominem, qui multa ad se bona mirabili traxerat violentia; neque ferrum tantum, sed et argentum et aurum et naves integras ad telonium, Zacchæum videlicet, principem Publicanorum. Qui tamen, quamprimum Christus in domum ejus venit, et juxta eum stetit, illico multo mirabilius respue-re et remittere cœpit omnia quæ rapuerat : *Domine*, inquit, *ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Nimirum Christus cœlestis ille adamas fuit, quem Amos, c. VII. (juxta translationem Septuaginta et interpretationem S. Hieronymi) prævidit monstratum sibi in manu Dei : *Quid tu vides, Amos?* inquit Deus : et Amos : *Adamantem ego video* : et dixit Dominus : *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei Israel.* Quod impletum cum Salvator natus est in medio terræ. Nimirum quia magnetina erant hominum corda ad concupiscendum, rapiendum et retinendum aliena ; idcirco adamas iste in terra ponendus erat ut restitueremus aliena. Hoc vero

quia difficile fit, idcirco omnem movebimus lapidem, ut fiat.

I. Lex naturæ. Dictat enim natura et urget conscientia restitutionem injustorum bonorum. Quod vel Zacchæus docet, qui urgente conscientia ultro prodidit obligationem istam, et promisit restitutionem, cum Christus ne verbo quidem mentionem de hac fecerit. Nimirum uti canis al-latrat et insequitur fures, donec prædam dimittant, ita facit conscientia perpetuo inclamans : *Redde quod debes.* Unde bene dixit Deus Caino, Gen. IV. Si male egerit, statim in foribus peccatum adfore, hoc est, accubiturum et allatraturum eum instar canis (hoc enim sonat Hebræum.) Habent hujus legis igniculum aliquem etiam bruta animantia; siquidem animalia quantumvis rapacia, reddunt vel dimittunt prædam, cum objurgantur vocibus inclamantium. Crocodili rapacissimi, sola Tentiritarum voce territi evomunt recentia corpora ad sepulcrum, teste Plinio, lib. VIII. cap. XXV. At quoties non in-clamat S. Scriptura ut aliena non tangamus ? *Væ, qui prædaris!* inquit : et iterum : *Væ, qui multiplicat non sua!* et in evangelio : *Redde, quod debes.*

II. Lex scripta, Exodi XXII. præcipit Dominus : *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove.* Eadem restitutio bonorum depositorum, vel per fraudem et calumniam acquiritorum præcipitur Levit. VI. et quinta insuper pars. Tob. II. ait Tobias audiens hædum in domo sua : *Videte ne furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.* Similiter Zacchæus in hodierno evangelio idipsum confirmat, qui juxta prædictam legem quadruplum restituere promittit. Sed cur quadruplum? Forte quia, qui contra justitiam peccat, quadrupliciter offendit. Nam primo, offendit justitiam, faciendo inæqualitatem : secundo, offendit proximum, privando eum bono, cujus usu et fructu interim carere debet : tertio, quia eundem occasionaliter movet ad indignationem, blasphemias, suspensionem, iracundiam, etc. quarto, quia forte etiam lacrymas multorum vel saltem læsorum provocat. Quod optime advertit S. Hedwigis Polonorum regina, cujus maritus. Uladislavus cum aliquando comiteatum a capitulo Ecclesiæ Gnesnensis petiisset nec impetrasset, ideoque more barbarico pignorrasset facultates adscriptorum Ecclesiæ, reprehendit eum regina ; inde rex pignora capta reddi jussit. Sed nihilominus suspirans Hedwigis : *Pignora quidem*, inquit, *reddemus agrestibus : cæterum lacrymas illorum quis reddet?* Hieronym. Zigl. de

illust. German. viris, cap. LXXXIX. Digna vox regina, quæ merito a potentibus observari deberet, et a pauperum oppressoribus.

III. Necessitas. Quia sine restitutione (quando fieri potest, et non sit) non dimittitur peccatum, et proinde nec cælum ingredi possibile est; id quod ostendunt loca Scripturæ paulo ante adducta. Quibus accedit Augustinus, epist. ad Macedon. (Refert. XIV. quæst. VI. *Si res*) dicens : *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit et non redditur, penitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si, ut dixi restitui potest.* Ratio est, quia peccatum non remittitur nisi disposito, dispositus autem non est, qui victus avaritia, non reddit vero domino, quod ipsius est sed sibi retinet. Ex fabulis scimus, vulpem, quæ esuriens gracili ventre angustum cellæ foramen intravit, et ibidem furtivo cibo ventrem ad ingentem tumorem distendit, cum egredi amplius non posset, ab alia vulpe forte illic transeunte audivisse : *Isthic tibi manendum est, dum iterum extenueris, si exitum invenire et liberari velis.* Idem tibi dico, et dicet quilibet confessorius tuus, si marsupium tuum furtivis nummis distenderis. De talibus enim proprie dixit Christus : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* Luc. XVIII. Quod si subjunxit, id per Dei potentiam esse possibile, eo intelligendum est, si ejusmodi dives, quod alienum habet, restituat, adeoque uti vulpi illi dictum est, rursus exinaniatur a furtivis bonis. Non desunt huic veritati exempla complura, quæ ostendunt eos, qui non restituerunt bona aliena majoris pretii, damnatos : eos vero, qui minoris pretii, res, vel debita contracta, in purgatorio detentos fuisse. Refert Cæsarius, lib. XI. cap. XXXV. monachum quemdam, qui nautæ, a quo per Albim Saxoniam fluvium transvectus fuerat, promissum nauticum, dimidium denarium, reddere neglexerat, post mortem ab ingressu cæli impeditum, eo quod nauticus ille adeo ipsi crevisse videretur, ut mundo major appareret, ideoque sursum tendenti obsisteret, quod ad vitam reductus narravit. Refert Collector speculi, puerum novem annorum, solitum a domesticis mutare nummos ad emenda pira et nuces : cum neglexisset aliquos solvere, acerbissime in purgatorio castigatum matri apparuisse, et culpam aperuisse, petiisseque ab ea ut pro ipso satisfaceret, in spec. m. exempl. tit. Restitutio. Et sane tanta est hæc obligatio, ut propterea aliquando mortui interpellati responderint, quo nimirum res alienæ restituerentur. Scribit Socrates, histor. trip. lib. cap. X. Spiridioni Tre-

mithuntis Cypriorum episcopo fuisse filiam ire-nem, cui notus quidam depositum aliquod crediderat. Illa sumens depositum sub terra recon-didit, ubi caute creditur custodiri. Contigit interea mori puellam nihil confessam patri. Venit homo depositum repetens ignorante Spiridione, quid loqueretur. Cumque in tota domo requisisset, nec inveniret, flebat, capillosque vellebat et morti vicinus esse videbatur ille, qui deposuerat. Hæc Spiridione fieri videns, et cursim veniens ad sepulcrum, vocavit nomine puellam. Qua respondente, de causa depositi requisivit, et cum ab ea didicisset reversus et inveniens, ubi puella significaverat, reddidit homini, quod petebat. Sic trip. Similem historiam refert Ado Trever. 7. idus aug. de Euphrosyna, quæ Donato episcopo ex sepulcro respondit, ubi fisci pecuniam Euphrasio marito conceditam abdidisset. Ex quibus intelligi potest, quanti res momenti sit alienorum bonorum restitutio, quando etiam mortuos voluit Deus adhibere hujus rei testes.

IV. Periculum, quod imminet liberis et hæredibus, si ejusmodi bona eis relinquuntur. Nam si hæredes sciant aut scire nolint, cum possunt, bona illa injusta esse, nec tamen restituant, pari scelere se obstringunt. Itaque ejusmodi parentes liberis suis venenatum panem offerunt, contra id Salvatoris : *Quis ex vobis patrem petit ovum? Numquid scorpionem dabit illi?* Scorpio facile blanditur, sed cauda pungit et necat : ita blandulæ quidem sunt iniquæ hæreditates, ad extremum tamen perdunt. Hinc damnatum se asseruit mater B. Mariæ de Oignies, filiæ appa-rens : *Enutrita*, inquit, *fui et vixi in his, quæ per injusta mercimonia et usuras acquisita fuerunt, et conscia mihi mali ablata non restitui.* Thomas Cantiprat. lib. II. apum. cap. LXIV. Hinc decem illi comites Teutonici sibi ad iniquam hæreditatem succedentes in una scala visi sunt torqueri in inferno, apud Petrum Damianum ad Dominic. cap. VIII. epist. V. Quod exemplum recensuit Hildebrandus Roman. Ecclesiæ archidiaconus pro concione coram papa Victore. Cultros acutos eripiunt parentes liberis, cur non potius bona ejusmodi injusta, quibus animæ eorum lethaliter sauciantur?

V. Mors imminens et gehenna. Veniet brevi tempus, quod injustum possessorem omnimode spoliabit. Et quis non malit ultro dare, quam violenter spoliari? *Divitias, quas devoravit, evomet*, inquit quidam, in lib. Job c. XX. *et de ventre illius trahet eas Deus.* Mors uncinus ille est, quem vidit Amos, cap. VIII. ostensum sibi a Deo. Ut enim uncinus quatiuntur arbores et spoliantur pomis licet invitæ ; sic injusti possessore-

res, qui instar arborum omnem pene succum circumjacentis terræ ad se trahunt, ut se, et suos ditent, ornent, exalent, etc. a morte exentur. Videmus initio Christum ab eodem Amos visum super murum adamantinum cum adamantem in manu. Quod indicat Christum fore aliquando adamantem, adamantinis illis cordibus, qui ad restitutionem et divisionem honorum alienorum a propriis permoveri non possunt. Etenim adamas etsi malleo frangi nequit, alio tamen adamante rumpi dicitur. Videant illi ne in morte adamantem experiantur Christum, qui adamantini sunt in vita. Expertus est hunc adamantem Carolus Martellus rex Franciæ et Caroli Magni avus, qui postquam monasteria multa diripisset, et bona ecclesiarum sibi usurpasset, decimas etiam, quas ad tempus a sede apostolica impetrarat contra jusjurandum restituere nolisset, horrendam mortem subiit. De eo siquidem S. Bonifacius ita scribit ad Ethelbaldum Merciorum regem in Anglia, hominem scelestum, quo eum per exempla ad penitentiam revocaret: « Carolus quoque, inquit, princeps Francorum multorum monasteriorum eversor et ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios cumulator longa torsione et verenda morte consumptus est, apud Baron. anno 741. Et volunt aliqui, corpus ejus post aliquot annos in sepulcro non inventum, sed ejus loco magnum tantum serpentem, Emilius, lib. II. de rebus gestis Franc.

VI. Grande bonum, quod restitutionem sequitur; non enim potes tam multa restituere, quin longe plura restituat tibi Deus. Restituit tibi gratiam suam, imo seipsum: restituit tibi opera mortificata et merita: restituit tibi pacem conscientiæ: restituit tibi bonam famam: restituit tibi vitam æternam. Omnia hæc promisit tibi Christus verbo illo, cum dixit: *Hodie huic domui salus facta est a Deo.* Ut enim ad Zacchæi verbum, quo is restitutionem promisit, statim addidit Christus: *Hodie huic domui salus facta est a Deo;* ita dicitur et tibi, postquam te ipsum viceris, et restituere serio decreveris: Huic domui salus facta est. Quare nemo metuat, ne si aliena restituerit ad pauperem redigatur, vel famam suam perdat. Si enim Deum recipit, si gratiam, si pacem conscientiæ, si merita sua, si salutem; itane pauper erit? Deinde, turpe est aliena rapere, turpius reddere nolle: contra gloriosum est et laudabile, reddere non minus quam si aliud damnum datum resarcias. Quis enim unquam vituperavit Zacchæum, quod aliena restituerit? Imo, quis non laudat, laudavit certe eum ipse Dominus, cum mox salutem ei impertit. Contra ingens ignominia erit, cum in die iudicii, alie-

num quid in cassa tua repertum fuerit. An nescimus, quam confusi sint fratres Joseph, cum in sacco eorum repertus est scyphus Josephi? Gen. XLIV. Quisquis igitur es, si quid aliquem defraudasti, vel si quid alieni possides, etiamsi absque fraude, redde cui debes.

CONCIO IV.

QUÆNAM DOMUS, SEU FAMILIA SIT BEATISSIMA.

I. In qua justitia diligitur. — II. In qua honesti amans dominus. — III. In qua omnes faciunt suum officium. — IV. In qua diligitur potius dominus quam timetur. — V. In qua aurea mediocritas. — VI. In qua sapiens paterfamilias.

THEMA.

Huic domui salus a Deo facta est. Luc. XIX.

Non parva Zacchæo laus est, quod in festo dedicationis legatur ejus historia, et quod de ipsius domo dicitur, applicetur domui Dei. Vult enim hoc ipso Ecclesia nobis insinuare, domum Zacchæi sanctam, et domum Dei adeoque templum quoddam factam esse, postquam eam Christus sua præsentia initiavit et Deo consecravit. Hoc sibi volunt verba ejus: *Salus domui huic facta est.* Felix illa domus et familia, de qua hoc idem dici potest, quæque templum quoddam est. Et vero domus Christianorum tales esse deberent, sanctæ, inquam, et Dei domus, in quibus salus habitet: uti domus Aquilæ et Priscillæ, de qua S. Paulus, I. Cor. XVI. scribit: *Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia apud quos et hospitor:* quæ sane Ecclesia non fuit nisi familia Aquilæ. Tales ergo si domus Christianorum forent, merito hoc die solemnitatem dedicationis celebrarent. Quid vero domum et familiam felicem reddat audiamus.

Plutarchus in convivio septem sapientum refert, Periandrum eorum unum quæstionem proposuisse: Quænam domus esset optima, quænam familia beatissima. Ad hoc, inquit.

I. Solon respondit: *In qua res neque injuste est parta, neque in ea vel conservanda diffidentia, vel in perdenda penitentia est locus.* Talis enim domus semper in hilaritate absque timore vivit, absque timore et conscientia remorsu. Ejusmodi domus erat Tobie, qui sonitum furti in domo sua ferre non poterat, cum tametsi admodum pauper erat balantem audiret hædum: *Videte,* inquit, *ne furtivus sit, reddite illum domino suo, etc.* Idem et-

iam non diffidebat de sua re conservanda, nam dicebat filio: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed habebis multa bona si timeris Deum:* idem pauperes contribules suos ad convivium adhibere solebat: talis etiam domus Sancti Sanctuli, qui in rerum inopia et fame, panem sibi divinitus oblatum, timens ne alienus esset, suis mercenariis apponere volebat, apud Gregor. lib. III. dial. c. XXXVII. talis etiam erat domus Zacchæi postquam ad Christum est conversus; nam Christum, licet is seipsum invitaverit, excepit gaudens, nec turbatus est more avarorum, quod hospitem non invitatum convivio excipere deberet. Nec timuit etiam ne ad extremam redigeretur inopiam et mendicitatem, si bona male parta restitueret et dimidium suorum daret pauperibus, quomodo nunc usurarii et iniqui exactores timent. Denique, injusta bona ædibus suis exclusit: unde meruit audire: *Hodie huic domui salus facta est.* Etenim domus, in qua est aliquid boni injusti, similis est stomacho, qui crudum aliquem et noxium cibum retinet, quem digerere non potest. Hinc ascendunt in caput mæli vapores, idque valde affligunt, nec cessat dolor, donec noxius ille cibum per vomitum ejiciatur. Ita domus illa nequam læta et secunda esse potest, quæ alienum bonum retinet, quia id digerere non potest. Ast ubi id evomerit per restitutionem, tum demum sana erit, et audiet: *Hodie huic domui salus facta est a Deo.* Retinuit Pharaon uxorem alienam, Abrahæ nimirum, in domo sua, sed quanto suo malo? *Flagellavit enim Dominus Pharaonem et domum ejus propter allam, quousque jam dimitteret,* Gen. XII. Ita etiam flagellatur, si non aliis plagis, saltem conscientia stimulis, qui injusta bona detinet, donec ea restituat.

II. Bias dixit: *In qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges.* Foris quidem homines communiter caute vivunt, et honeste sese habent, quia timent leges, unde et honestiore cum habitu et pallio tecti prodeunt in publicum, sed domi suæ una cum pallio sæpe honestatem quoque exuunt, quia licitum sibi putant agere domi suæ, quod volunt, non quod decet. Ejusmodi domus mortua, amens et miserima est. Nam quævis familia civitas quædam parvula est, teste Chrysost. hom. XXII. in epist. ad Ephes. Atqui civitatis animam esse leges, dixit Demosthenes, apud Maxim. serm. LXIX. Cicero, mentem; et quod corpus est sine mente, hoc esse civitatem sine legibus, Cic. pro Cluent. Quod ergo mortuus et amens est, hoc est domus, in qua paterfamilias vivit absque lege, quia familiæ lex est paterfamilias, quod si ipse sit sine legibus, vix domui, quam regit. Erat domus Drusi patens

vicinorum aspectibus, cui faber cum suggereret se eam incommoditatem sublaturum quinque talentis, respondit: « Decem dabo, si tamen reddas domum meam, ut undequaque pateat omnium oculis, quo videant omnes, quomodo domi meæ vivatur, » Stob. serm. XXII. Talis etiam dici potest domus fuisse Zacchæi, qui ultro, nemine instigante in domo sua decrevit facere justitiam et reddere ablata, audientibus Pharisæis. Non ita permulti alii, qui foris et in creditorum ædibus solvere promittunt, quæ debent: sed domi suæ abnuunt.

III. Thales: *In qua, plurimum oia domino conceditur.* Signum enim est, in tali domo omnes domesticos facere officium suum, nec facessere curas aut negotium hero. Talis domus erat Putipharis, dum in ea serviret Joseph: crediderat enim Putiphar omnia sua Josepho: *Nec quidquam aliud noverat nisi panem, quo vesceretur,* id est, nullius rei curam gerebat, nihil inquirebat aut cognoscebat, præterquam mensam ut accumberet et frueretur iis, quæ Joseph procurabat, Genes. XXXIX. Felicior ea domus, in qua nemo impeditur ab otio sancto, quo Deo vacet. Et talem arbitror fuisse domum Zacchæi: non enim impediatur a suis, quominus iret videre Jesum. Spiritualiter felix est illa domus, in qua Dominus, id est, intellectus plurimum sancto contemplationis otio vacat: unde Bernardus, serm. V. de assumpt. ait: *Felix domus et beata semper, ubi de Maria Martha conqueritur,* id est, ubi studium rerum divinarum, orationis et contemplationis ita prævalet et dominatur, ut de illa actio externa veluti conqueratur: infelix vero domus illa, in qua dominus et domina privatur otio, præsertim sancto, ne possint vacare rebus divinis: cujusmodi tamen domus multæ nimis sunt ubi, videlicet uxor impedita a marito aut contra domestici a dominis est vicissim, ne subinde ascendant in sycorum contemplationis, orationis, confessionis, peregrinationis, etc. denique, ubi a negotiis et tumultibus sæcularibus impeditur mens a servitio divino, oratione, missa, concione, confessione, communione.

IV. Cleobulus: *In qua plures sunt qui diligant quam qui metuant dominum.* Quemadmodum enim molestissimum est, quando auriga perpetuis uti calcaribus et equorum latera tundere debet; e contra vero jucundissimum, cum equi sponte currunt ad unam aurigæ vocem: ita miserimum est invitis uti domesticis, qui minstantum et verberibus adigi debent; pulcherrimum vero habere tales, qui amore ducuntur. Hi enim præterquam, quod molestiam nullam creant dominis, fideles et constantes sunt; illi vero tempore